

# Franckesche Stiftungen zu Halle

## D. Jo. Callenbergii Programma De Christiano Professoris Philosophiæ Officio

Callenberg, Johann Heinrich

Halae, MDCCXL.

VD18 13442546

Abschnitt

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200892

75.  
141

D. JO. HENR. CALLENBERGII  
PROGRAMMA  
DE  
CHRISTIANO  
PROFESSORIS  
PHILOSOPHIÆ OFFICIO.

RECURSUM

Halæ in Typographia Instituti Judaici  
MDCCXL.

\*\*\*\*\*

**A** Nimum induxi, de professoris philo-  
sophiæ officio christiano non-  
nulla proferre in medium, sine  
ambagibus, quæ instituto repu-  
gnant; unde, præterita explana-  
tione satis notorum verborum, philosophiæ,  
ejus professoris, officii christiani, ad rei ipsius  
aggre-

---

*Animum induxi. Primum vulgatur hoc  
programma anno c1010ccxxvii. d. xxix.  
Jul. sic inscriptum: Programma, quo, post  
breve dissertationem de christiano pro-  
fessoris philosophiæ officio, habendas à se  
prælectiones indicat M. Jo. Henr. Callen-  
berg, Philos. Prof. Publ. extraord. Halæ  
Magdeburg. typis Christiani Henckelii,  
Acad. typogr.*



## 2 PROGRAMMA DE CHRISTIANO

aggredior enarrationem. In confesso est, eum, qui, sub functione professionis philosophicæ, quod christiano convenit, agere velit, esse oportere christianum, spiritualibus a Christo instructum viribus, ut christianæ disciplinæ officio satisfacere valeat. Deinde id christianæ philosophiæ professori cum reliquis Christi discipulis commune est, ut totam vitam, animum moresque ad divini verbi legem componere debeat, aspernari profanæ vitæ auctoramenta, sanctæ autem non abhorreere incommoda & calamitates.

Attigi generale officium; progredior ad speciale, quod ex illo fluit, atque in eo non minus, quam in statu nititur, quem privatum inchoavit studium, confirmavit publica magistratus indulgentia, & huic succedens ejusdem providentia munificentissima. Certe absolutum a statu reperitur officium peculiare, quod oritur ex illo amoris gradu, quo aliorum commodis, quoad possumus, consulere jubemur: siquidem homini non parum prodest collectæ ex rationis principio divinarum humanarumque rerum scientiæ communicatio. Quæ vero addita fuit principis constitutio, officii executionem limitibus circumscripsit, concessit privilegia, stipendia dedit, auxit obligationem.

Fontem vidimus specialis officii; jam ejus considerandæ sunt partes. Sicut in toto vitæ actu, philosophus doctor, cum aliis christi-

nis,



nis, ad cœlestis doctrinæ præscriptionem attendit; ita hanc, in administratione muneris, nisi animo sensuque christiano exuto, negligere nequit, quamvis disciplinam, aliunde haustam, profiteatur. Porro, si, nulla in re illi proposita esse debent vana auctoramenta, gloria, lucrum, terrena delectatio; his etiam, dum docet philosophiam, renunciet. animum intendens ad amabilis sibi Dei, CHRISTIQUE ejus gloriam, & humani generis veram salutem, ad cujus curam novit suum institutum esse præparationem.

Dixi, attendere ipsum debere ad doctrinæ cœlestis præscriptionem, id est, ad sacram scripturam. Hoc cum facit, in scrutando peculiari professionis suæ officio, non contemnendum, nec perversa explicatione enervandum putabit Apostoli monitum: *videte, ne quis sit, qui vos philosophia, fallaciaque vana prædetur, ex hominum institutione, mundique rudimentis, non ex Christo: quin rationes indagabit severæ commonitionis, impium philosophiæ abusum, & audaciam, quæ pulcro illius titulo pessima placita ivit ornatum. Intellecto sui muneris periculo, & circumspectis aberrationibus variis, proximum est, ut fugiat illud, & ab his sibi caveat diligentissime.*

Extant etiam in sacrarum litterarum monumentis luculenta testimonia de mentis humanæ, sibi relicta, cœcitate: graviter nos hor-



#### 4 PROGRAMMA DE CHRISTIANO

ratur Sanctus Spiritus, ne rationis fiducia nos in transversum agi patiamur. Quod philosophiæ doctor, qui simul Christi alumnus est, eo majori jure sibi dictum putet, quo adstrictior rationi ejus professio censetur. Rejiciat inertem hæsitacionem, adhibeat solertiam, magni æstimet, laudetque naturalis, quod mentis inest, luminis reliquias, utique inter Dei numerandas beneficia; sed non obliviscatur imbecilitatis suæ, cujus ipsum nunquam non in memorem esse jussit Deus, nisi mereri velit, ut ab hoc suæ insipientiæ totus permittatur.

Expositum est, quid christiana lex, circa ipsam philosophiæ professionem, ac principium ejus præcipiat; & quid inde ad philosophiæ professoris officium accedat; nunc progredimur ad illam officii ejus partem, quæ principium christianæ disciplinæ respicit, nempe divinam scripturam. Illi, in tota muneris perfunctione, animum ad regulam christianæ vitæ generatim attendendum, paullo ante docuimus; jam sermo est de peculiari divinæ doctrinæ respectu, in proponendo dogmata philosophica. Licet id sibi, philosopho, datum sciat negotium, ut, quousque pertingat occupatæ in solo naturalium præsidiorum usus mentis perspicentia, demonstret; attamen, quatenus christianus est, certus, quod verum sit, quicquid christianæ religionis norma, sacra scriptura, complectitur, hujus nequit in phi-



PROFESS. PHILOS. OFFICIO. 5

philosophando abjicere respectum. Quando  
quæritur, utra disciplina præcedat, utra sequatur?  
& utra utri cedere debeat? jure postulant, ut  
christianus philosophus, quem in utriusque præ-  
tium inquisivisse oportet, Christi disciplinæ  
philosophicam postponat; quod ille etiam haud  
ægre facit. Præstantiam divinitus instauratæ,  
clarius patefactæ, & mirifice amplificatæ  
doctrinæ, pro re nata, ut subinde ostendat  
auditoribus, officium poscit. Tum, contingentibus  
se invicem philosophia, & sacra scriptura, quæ  
hanc in summa tradit, atque enucleat, theologia,  
videbit, ne confundat utramque, aut quædam,  
alteri surrepta, in alteram infundat. Ubi  
autem utriusque incidit discrepantia, non eam  
constet concordiam, quæ discordia peior atque  
periculosior est, quod sit, exempli gratia, si  
philosophia sacrae scripturæ interpret constituitur,  
si in hanc erroneas vulgi opiniones adscitas  
non erubescimus dicere; sed operam navet,  
ut apud alios, de qua ipse non dubitat,  
nequicquam obstante difficultate illa,  
sanctissimæ doctrinæ excellentia vindicetur,  
explorato curatius, secundum justam  
interpretationis legem, bibliæ loci sensu,  
cui repugnat philosophica sententia,  
excussisque hujus argumentis: neque  
pudeat ipsum, fateri suæ cognitionis  
imperfectiorem, ubi eam deprehendat;  
neque ruinosum philosophicæ opinionis  
fundamentum, quale certe ple-



---

## 6 PROGRAMMA DE CHRISTIANO

---

rorumque placitorum est, quæ Prophetarum & Christi doctrinæ fuerunt opposita, detegere vereatur. Ceterum vere christianus philosophiæ doctor, per eam, quæ humanæ scientiæ adjunxit, spirituales divinarum rerum cognitionem, atque usum, satis munitus reperitur adversus cavillationem, qua ista excipi solet ingenuitas; moris enim quibusdam est, illam dubitationis scepticæ, superstitionis, ignorantia, ignaviæque calumnia deturpare. Quemadmodum vero ad illius officium pertinet, ut omnem solícite vitet prævaricationem, ne quid detrahat de sacrarum litterarum pretio, veritate, sensu; ita eadem officii lex hortatur, ut, si quid inveniat in scientia sua, quo illustrari quædam divini libri effata, atque confirmari queant, id in commune conferre non dedignetur. Tandem, nec hoc omittendum, quod, cum quis christianus alterum, divini verbi ductu, hortandi, excitandique occasionem arripere jussus sit, nefas foret, si hanc sibi elabi fineret philosophiæ professor. Quotquot sapientes ad bonum sunt, quomodo id, sine confusione disciplinarum, inviolataque modestia, fieri possit, facile intelligent; sicut exploratum habemus, præditos pio animo viros, non tam præcepto, quam amore, ut illud faciant, suavissime impelli.

Sed hæc, & alia ejus generis longius persequi, neque hujus loci, neque instituti mei  
nunc



nunc est: partes præcipuas officii, quod philosophiæ professori, quatenus christianus est, injunctum arbitrer, explicare consilium fuit; & jam id me quodammodo præstitisse credo. Subjicere potuissem, quam acuat divina lex industriam & fidem, in omnibus muneris partibus adhibendam; ostendere potuissem, quo animo ille erga studiosam juventutem esse debeat; ut hæc ipsi amore singulari complectenda sit, & provehenda in cultura ingenii, in emendandis moribus, in præmonstranda via salutis. Addere quid potuissem de fuga improbarum artium, quibus applausus captatur; transire ad illa officia, quæ ille viris, eidem secum muneri admotis, debeat: eaque omnia ex christianæ pietatis fonte plenius clariusque derivare.

Verum hæc summatim apposuisse sufficiat; quod ampliorem tractationem scripti brevitatis excludit, & me, quod volui, puto assequutum. Quippe, cum a ritu publicandæ tabulæ inchoanda sit administratio philosophicæ professionis, quam Potentissimus Borussiae Rex, Dominus meus longe Clementissimus, cujus Deus augeat, conlummet, perpetuetque felicitatem, mihi ex singulari gratia demandavit; argumentum elegi, quod mentis, consilii, que mei quoddam quasi indicium esse possit: scilicet, me percupidum officii muneris mei omnibus satisfaciendi, & ea quidem cum sincer-



---

8    PROGR. DE CHRIST. PROF. etc.

---

ceritate, quam inculcat & adfert christiana pietas, quemvis perficiens hominis statum, nisi is in se repudiosus sit, atque omnem profligans impietatem, socordiam, desidiam, ambitionem, invidiam, privatoque commodo, tanquam prædæ, inhiantem cupiditatem, & quæ inde nascuntur, cum aliarum societatum, tum maxime academicæ, turbamenta, exitiaque. Hunc autem spero fructum, declarato animi mei sensu, ut illustres & excellentissimi academiæ proceres, doctoresque confidant, se habituros in me, quod ab homine non immodesto, quod a studioso communis boni, concordiaque collega, verbo, quod ab homine, Christum imitandi cupido, expectent: item hoc me consequuturum spero a carissimis commilitionibus, ut sic habeant persuasum, se nunquam fidem meam desideraturos.

---

*Meam desideraturos.* Omitto hic, quæ tum addideram de scholis, quas habiturus essem.

\* ( o ) \*  
\*